QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS mane discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis vigesimâ Januarii.

M. AMBROSIO NICOLAO CHEMINEAU, Doctore Medico, Præside.

An robur Corporis obstat vi & præstantiæ Intellectûs?

I.

QUIDQUID est, vel cogitat, & dicitur mens: vel molem habet, & corpus appellatur. Mentis facultates duæ: totidem corporis. Illius prima quæ ad veritatem nata est, intellectus nuncupatur: altera seu voluntas fertur in bonum. Corpus seu substantia extensa varie circumscribitur & movetur, unde figuras mille induit, mille subit mutationes. Mens & corpus substantiæ toto cœlo diversæ, decreto divino simul unitæ, totum (quod hominem vocitamus) constituunt. Hinc utriusque commercium. Illa corpori præesse debet, non ad illorum mentem qui animam corporis functionibus occupatam volunt invigilare singulis: quasi vero corporis fabricam singulis obeundis aptissimam esse compertum non esset: sed ad grandiora nata debet investigandæ veritati tota incumbere. Hominis felicitatem à præstantiâ animæ & integritate corporis repetas. Prima in eo posita est ut intellectus veritatem cujus capax est percipiat: & voluntas bonum in quod fertur nativo impetu, possideat. Integritas corporis ab ipsius robore, quod functionibus obeundis belle inserviat, oritur: hominem vix invenias adeo feliciter natum cui in robusto corpore adsit præstantior anima quæ objectis externis mirum in modum occupata veritati ut decet seriò attentam se præbere valeat

II.

COGNITIONE veritatis, eam animæ facultatem quæ dicitur intellectus, fieri præstantiorem vix quisquam sciens negaverit. Intellectus solius veritatis perceptione gloriatur: soli acquiescit. Quid vitii contraxisse putes si veritatis larvam impru-

dens amplectatur. Corporis & animæ commercium tandiu perseverat quandiu machina integra functionibus obeundis inservire apta est juxta conjunctionis leges. Anima unita corpori non veritati solum acquiescit , sed quæ sunt corporis , ea sollicitè amplectitur. Hinc dolet cum illi vis infertur , & vicissim bona corporis valetudo non mediocrem in illâ lætitiæ sensum parit. Quidquid occasione corporis experitur ad sensationes, memoriam & eam animæ facultatem qua objectorum imagines sibi fingit , revocari potest. Quidquid anima unita corpori percipit , huic à supremo Numine imprimitur mediate vel immediate ; organa certâ ratione objectorum externorum interventu afficiuntur ; hinc animæ sensationes. Illorum vestigia cerebri substantiæ quasi insculpuntur quæ spiritus animales subeunt , modò ad nutum voluntatis , modò ipsâ invitâ : unde memoria aut impressæ prius objectorum imagines iterum animæ repræsentantur : illarum imaginum occasione varie movetur corpus & agitatur mens , unde animi pathemata. Sola veritas animæ affulget à supremo Numine absque corporis interventu : illius apprehensione intellectus illustratur , & in tantum præstat in quantum , ut huic firmiter adhæreat , ab errore est immunis.

III.

ANIMÆ in corpus imperium à peccato imminutum esse , ne dicam pessumdatum, quis eat inficias ? docet fides , arguit experientia : seipsum quisque interroget ? Philosophus pariter & Medicus , assiduis laboribus veritatem intellectui aut corpori sanitatem comparare frustra plerumque student. Hominem ab ovo ad ultimum usque silicernium comitare ? Anima traditis sibi instrumentis seu organis impeditur potius quàm instruitur. Nonne in utero dixeris otiosam : matris claustra perrumpit infantile corpus ; totum quantum est infirmitatis specimen est. Anima igitur , dum molliora sunt organa , qualia primis vitæ temporibus conspiciuntur , balbutit , titubat , miratur , pertimescit ; sensationes vividiores sunt ab objectorum in organa teneriora actione majori ; functiones denique omnes tum corporis tum animæ crescentis machinæ imbecillitatem referunt. Ubi adolevit , firmata est : ubi nativum robur corpus nactum est , tum anima quasi soluta , lususque pueriles contemnere incipiens , in alia detruditur incommoda , scilicet *terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem* : Facultates animæ à veritatis cognitione & veri boni amore avelluntur : Mille imagines objectorum obversantur animæ quibus ad corpus convertitur : Spiritus animales aut renovandis vestigiis , aut cudendis de novo huc illuc feruntur cum impetu. Animi pathemata in vegeto corpore

vehementiora animam ſic à veritate avertunt : ſic ſibi ipſi diſſimilem fieri interdum cogunt, ut ad motum ſpirituum judicare, apprehendere, & velle, non immerito dixeris.

I V.

AD veritatem tendit à natura intellectus, ſicut voluntas ad bonum : fœlix uterque ſi intellectui non illudat umbra veritatis, aut boni imagine voluntas non decipiatur. Quod autem propter peccatum accidit ut corpus mille morborum generibus obnoxium fieret, id pariter effectum eſt ut anima mille erroribus obcœcaretur. Hæc illi mali labes inuſta eo præſertim tempore quo peccato ſubſerviens regimen corporis amiſit quod penes illam primùm manebat. Infelix illa corpore languente mœrore conficitur, ſeneſcente vix ſui præbet argumentum (*totum hominem languor & horror habet.*) Contra verò vigente corpore objectis exterioribus occupata agitatur mirum in modum, nec verum à falſo valet diſcernere. Sic amore percita proſequitur imprudens quod ipſam brevi pudebit redamaſſe. Robur corporis in eo poſitum eſt quod temperie liquorum , ſpirituum copiâ, & debitâ organorum ſtructurâ, ſic corporis machina compingatur, ut quæ ſunt corporis functiones belle, prompte & alacriter impleantur. Tam appoſitum corporis apparatum comitantur ſenſationes pene innumeræ quibus anima ad corpus vi quâdam convertitur. Quid non & in robuſto corpore fibræ cerebri ſolidiores & artuum, quàm ut ad animæ nutum huc illuc flecti poſſint pro diversâ ſpirituum agitatione. Quidni & in illis ſpiritus ejus ſint configurationis & indolis, ut animæ imperium recuſent. Num ab educatione, aut conſtitutione cerebri vel organorum, inepta admodum ad ſcientiarum comparationem quorumdam hominum moles alias viſui non ingrata. Quibus aliter proviſum eſt non invideant, mirentur magis quomodo natura plerumque quod corporis præſtantiæ diminutum eſt, alacritate ingenii penſat.

V.

CORPORIS robur obſtare vi & præſtantiæ intellectus qui negaverit nec ſeipſum nec veritatem novit. Hæc in ſilentio fulget : quod vix animæ in robuſto corpore conceditur. Si juvenile ſit, animi pathematis vehementioribus occupatur : Ira impotens, bella, bacchi deliciæ juvant, aut detinent inſani amores. Curæ grandiorem fatigant & rei familiaris ſollicitudo ; ſenem mille circumveniunt incommoda. Tam multa ad veritatem aditus præpediunt (præſertim in vegeto corpore) ut vix homo ſit cui pura affulgeat. Quos igitur præſtantes ingenio videas plerumque apud homines circumferri, ne exiſtimes intellectu præſtare. Eſt in illis memoriæ vis ſumma,

eſt ad dicendum fingendum ve facilitas non vulgaris : quidquid garriunt placet, arridet, movet, allicit ; in quantum aut numeroſo verborum apparatu aures demulcent, vel imagines in auditorum cerebris cudunt facilius animi pathematis inſtaurandis aptiores. Horum ce hominum anima in his quæ ad corpus ſpectant præſtat : In his quæ ad veritatem inquirendam conferunt, infirma admodum. Huc illuc pro diversâ objectorum impreſſione feruntur modò in hanc modo in illam partem, plerumque unius horæ intervallo in oppoſitas. Hos rapit altius cerebro impreſſa imago ; non veritatis amor ducit cujus in animam autoritas levis ſi corporis pondus (grave nimium) proprio robore intendatur. Tales plerumque ſunt quos variis in dies excogitandis ſyſtematis acriter inſudare videmus ; aut jam obſoletis adversâ experientiâ renovandis pertinaces experimur. Illos tenet novitatis amor : Hi jurare amant in verba veterum : nullis veritas purior affulget. An corporis robur ſic obſtat vi & præſtantiæ intellectus ut nuſquam unquam convenire poſſint ? nullatenus. Res eſt ardua, rara, non impoſſibilis. Anima ſui juris fiat : corpus ſub jugum mittat : diſcat illius præcipites motus componere ad nutum : nulli acquieſcat niſi veritatis ſplendore coacta ; tunc intellectus eam ſibi comparabit attentionem veritati acquirendæ tam neceſſariam. Quantum igitur corpori additur tantum ſubtrahitur animæ, præſertim à peccato : à quo imperium animæ in corpus diminutum eſt, quod à Dei in animam autoritate pendebat : hæc jugum Dei excutiens, ſub jugum corporis miſſa eſt ; hoc autem gravius, quò corpus robuſtius.

Ergo *Corporis robur obſtat vi & præſtantiæ Intellectûs.*

Domini Doctores diſputaturi.

M. Claudius Bourdelin.	*M. Philippus Ignatius Save.*	*M. Joannes Cordelle.*
M. Joannes Franciſcus Foy-Vaillant.	*M. Petrus-Joannes Burette.*	*M. Petrus Yon.*
M. Alexius Littre.	*M. Ludovicus de Vaux.*	*M. Antonius de Saint-Yon, Medicus Regis ordinarius.*

Proponebat Lutetiæ Pariſiorum ANTONIUS LE CLERC, Pariſinus, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1695.

Apud Franciſcum Muguet, Regis & Facultatis Medicinæ Typographum.